

mer. 22. Matthæucci *Official. Cur. quoad excommunicationem Canonis* num. 10. (18. Felix *Potestas Minist. Sacram. pœnit.* cap. 3. num. 3560. et alii. (19. Item Equites S. Joannis Hierosolymitani vulgo dicti *Cavalieri di Malta*; ipsi enim emittunt tria Vota substantialia in Religione a Sede Apost. approbata, et sunt vere Religiosi, et si se invicem percutiant, Pontifex eis concedit, ut ab Excommunicatione hac de causa incursa absolvi possint ab eorum Priore Sacerdote; cap. *Canonica* 59. de *Sent. excomm.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(20. Num excommunicatio contenta in Canone hoc *Si quis suadente diabolo*. caus. 17. quæst. 4. sit lata an ferendæ sententiæ, non immerito dubitari potest. (21. Non ignoro, quod sæculo decimosecundo, quo in Concilio Lateranensi sub Innocentio II dictus Canon latus fuit, jam in Ecclesia erant in usu excommunicationes *latæ sententiæ*. (22. Sed formula illa: *Anathemati subjaceat*, qua usus est præfatus Canon, non videtur importare excommunicationem *latæ sententiæ*. « Hæc formula (ut recte ait Vanespen. *Jur. Eccles. univ.* part. 3. tit. 11. cap. 6. § 20.) non videtur magis latam sententiam importare, quam hæc: (23. *Sit Anathematizatus: Sit sequestratus*: quæ tamen, juxta Gloss. in cap. 2. de *For. competent.* verb. *Sequestratus*, non nisi Excommunicationem ferendæ sententiæ significat. »

(24. Cæterum Doctorum interpretatione, tum usu Fori, continet d. Canon excommunicationem *latæ sententiæ*, quod sane sufficit, nam ut inquit Paulus in l. 11. ff. de *Legibus*, « minime sunt mutanda quæ interpretationem certam semper habuere. »

ARTICULUS XI.

Quinam, ab incursu hujus excommunicationis excusentur vel non?

(1. Primo, ab incursu hujus Excommunicationis excusantur qui laborant ignorantia invincibili, tam juris, ut si quis invincibiliter ignorat, ob Clerici percussionem esse statutam Excommunicationem, quam facti, ut si quis ignorat, eum, quem percutit, esse Clericum, et si res deducta sit ad Forum externum, et de ignorantia ipsius dubitetur, sit ipse paratus etiam cum juramento suam ignorantiam probare; c. *Si vero* 4. de *Sent. Excomm.* Sic qui percutit Laicum putans esse Clericum, contrahit quidem malitiam sacrilegii, sed non incurrit excommunicationem, quia ut hæc incuratur, debet re ipsa, et non tantum in apprehensione, Clerico, vel statui Clericali irrogari injuria; Del bene sect. 21. num. 1. La Croix lib. 7. num. 322. et alii passim, arg. cit. c. *Si vero* 4. de *Sent. Excomm.* et sic de similibus; ut si quis ex conscientia erronea putet esse annexam censuram (quæ revera annexa non est) actioni, quam operatur, hic quidem gravius peccat, quatenus operatur contra suam conscientiam dictantem rem gravius prohibitam, at nullatenus incurrit censuram propter ra-

tionem allatam. Tum quia ignorantia invincibilis semper excusat ab incursu censura; textu expresso in c. *Ut animarum periculis* 2. de *Constit.* in 6. et concordat cit. cap. *Si vero* 4. de *Sent. Excomm.* et tenent Doctores communiter. (2. Secundo, excusantur qui Clericum percutiunt ad sui defensionem vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ; c. *Ex tenore* 10. hoc tit. et cap. *Significasti, de Homicid. voluntar.* lib. 5. tit. 12. ubi expresse habetur « Quamvis vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittant, tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. » (3. Tertio excusantur, qui fortuito, et subitanea ira, vel passione sine sufficienti deliberatione Clericum lædunt, ut colligitur ex c. *Si vero* 3. de *Sent. Excomm.* et tenent, expresse Glossa. ibid. verb. *Fortuito*, ubi dicit: « Tunc enim non imputatur, quia casus fortuiti prævideri non possunt. » (4. Quarto excusantur Clerici se ad invicem percutientes ex mero joco, et levitate, et non ex odio, invidia, aut indignatione, quia ut expresse habetur cap. *Super* 1. de *Sent. Excomm.*, « non potest in ipsis injectio violenta notari. »

(5. Quinto, excusantur percutientes Clericum vel Monachum inventum turpia agentem cum Matre propria, filia, sorore, et uxore, ut habetur expresse in cap. *Si vero* 3. de *Sent. Excomm.* Non excusantur autem, si occidant, vel percutiant non statim ac in crimine deprehendantur, sed post tantum temporis spatium, quo justus dolor sedari potuit, tunc enim non amplius licet; sicut nec excusantur, si data opera in loco occulto Clericum, aut Monachum expectant, ut possint in crimine reperitum occidere, nec si peccantem cum aliis consanguineis inveniunt, ut definitur cap. *Si vero* 3. § *Ceterum*, de *Sent. excomm.*

(6. Sexto, Mulieres percutientes Clericum, vel Monachum pudicitiam suam facto tentantes; cap. *Si vero* 3. et cap. *Ex tenore* 10. de *Sent. Excomm.* Non excusantur autem si a Clericis solis verbis aggrediantur; tunc enim debent solis verbis repellere, nisi Clerici taliter essent molesti, ut mulieres se aliter liberare non possent, quam utendo fuste, verberare, pugnis etc. ut advertunt communiter Canonistæ in cit. cap. *Si vero*; et cap. *Ex tenore*.

(7. Septimo, excusantur percutientes Clericum privilegiis clericalibus a suo Episcopo privatum, vel publice exercentem Macellum, vel munus Tabernarii, vel artem mechanicam post trinam Episcopi monitionem; cap. unico, de *Vita et honest. Cleric.* Clement. 1. eod. titulo.

(8. Octavo, excusantur Officiales Laici percutientes Clericum involuntarie, et casualiter arcendo turbam, et omnes, qui ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, repellunt turbantes divina officia; cap. *Venientes*. 16. et c. *Cum voluntate* 54. de *Sent. Excomm.*

(9. Nono, excusantur Clericum percutientes correctionis causa, ut Magistri, seu Præcepto-

res, qui correctionis causa moderate castigant discipulos Clericos; c. 1. c. *Ex tenore* 10. et cap. *Cum voluntate* 54. de *Sent. excomm.* Item parentes, et Propinqui, qui disciplinæ gratia filium, propinquum moderate, seu leviter percutiunt; c. *Cum voluntate* 30. de *Sent. excomm.* (10. Circa hos tamen est advertendum, quod si Magistri, Patres, et Propinqui sint Laici, habeant solum jus corrigendi, et puniendi Clericos in minoribus constitutos, non autem in Sacris, et majoribus Ordinibus, sicut expresse, et clare definitur in d. cap. *Cum voluntate*, per præcisa verba: « Si quis vero ratione Officii, quod in Ecclesia obtinet, vel etiam alii Clerici Seniores zelo devotionis pueros, vel adolescentes in minoribus Ordinibus constitutos turbantes Divinum Officium, et qui obtentu prælationis, vel magisterii subditos, vel scholares correctionis causa leviter forsitan percusserint, Excommunicationis sententiam non incurrunt, quod de his dicendum est, qui aliquos de Familia sua, vel propinquos inferiorum ordinum simili modo, ut cohibeantur a suis insolentiis, et scientia, bonisque moribus informant, duxerint corripiendos. » Et ratio est, quia nimis indecorum esset statui Clericali, et plurimum vilesceret Clericalis reverentia si laicis potestas corrigendi per verbera in Clericis in sacris constitutos concederetur, hæc enim est communior, quidquid dicant aliqui in contrarium ratione patriæ potestatis.

(11. Decimo excusantur præ ceteris Prælati Ecclesiastici, si correctionis causa Clericos, vel Monachos sibi subditos nedum in minoribus, sed etiam in majoribus Ordinibus constitutos juxta gravitatem culpæ castigaverint, dummodo id faciant per se, vel per alium Clericum, vel Monachum; dict. cap. *Ex tenore* et cap. *Cum voluntate*. (12. Si autem per Laicum fecerint, tam Prælati mandans, quam Laicus mandatum exequens, Excommunicationem incurrit; cap. *Universitatis* 24. de *Sent. excomm.* (13. In casu vero, quod necessitas urgeat, et Clericus, vel Monachus aliter quam per Laicos a facinore compesci, et capi non possit, aut consuetudo sit, ut Ecclesiastici per Laicos ligentur, incarcerentur, imo et torqueantur, tunc Prælati poterunt uti ministerio Laicorum ad ipsos sic puniendos, et a facinoribus compescendos absque incursu Excommunicationis; c. *Ut famæ* 33. vers. *Laici*, de *Sent. Excomm.*

(14. Non excusantur autem, sed Canonis Excommunicationem incurrunt, Primo nedum manus violentas in Clericum, vel Monachum, suadente diabolo injicientes, sed etiam id mandantes, dummodo effectus sequatur; cap. *Mulieres* 6. de *Sent. Excomm.* expressis his verbis: « Illi vero qui non per seipos, sed eorum auctoritate, et mandato alii violentas injiciunt manus in Clericos, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi; cum is committat verum, ejus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur. » (15. Et mandans hanc incurrit Excommunicationem, licet de mandato pœniteat, antequam suum mandatum fuerit effectuatum, nisi manda-

tum revocaverit, et de revocatione ante executionem mandati mandatarium serio monuerit. (16. Sicuti eam incurrit projiciens e tecto lapidem cum deliberatione occidendi Clericum, quamvis statim post jactum pœniteat, atque si posset, revocaret, quia quantum est ex parte sua operis prohibiti jam malitiam complevit; colligitur ex c. *Ad audiendam, de Homicidio*, et tenent Avila part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 7. conclus. 2. Ægid. disp. 12. dub. 15. numer. 163. Confectius *Summ. privileg.* tit. 14. can. 1. Layman. de *Excomm.* lib. 1. tract. 1. p. 3. cap. 5. num. 7. et alii passim.

(17. Secundo non excusantur illi, qui licet non mandent violentam manuum injectionem in Clericum, vel Monachum, suo tamen nomine, gratia, vel intuitu factam signo aliquo externo rati habent, ut expresse habetur cap. *Cum quis* 23. hoc tit. in 6. his verbis: « Cum quis absque tuo mandato manus injicit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a Canone incunctanter incurris. » (18. Non autem eam incurrunt si rati habeant talem violentiam factam, non suo, sed solum alterius nomine, ut aperte declarat idem textus: « Si vero injectio eodem tuo nomine non fuit facta, tunc licet pecces rati habendo eandem, non tamen propterea Excommunicationis ullius vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum. »

(19. Tertio non excusantur, qui Clericum vel Monachum etiam absque ulla læsione corporali recludunt, vel detinent in carceribus publicis, vel privatis; vel in aliqua domo, vel alio in loco injuriose, et violentè retinent, ne exire possint; et quo voluerint, libere progredi nequant, cap. *Nuper* 29. de *Sent. Excomm.*

(20. Quarto non excusantur consulentes, auxilium ferentes, consentientes, sociantes, cap. *Quantæ* 47. de *Sent. excomm.* et Clementin. 1. de *Pœnis*, ubi explicite inter reos hujus canonis enumeratur, « qui injuriose, vel temere percusserit, aut banniverit, vel hæc mandaverit fieri, vel socius in his fuerit facientis, aut consilium in his dederit, vel favorem, » etc. Et de sociantibus homicidam etiam sine manuum injectione clarissime habetur cap. *Sicut* 1. de *Homicid. voluntar.* lib. 5. tit. 12. his verbis: « Illi autem, qui animo occidendi, ferendi, aut capiendi illum sanctum, ac Reverendum virum quondam Cantuar. Archiepiscop. citra manuum injectionem se fatentur venisse, si de illa captione mens ejus sequuta fuisset, pari pœnitentia, vel foro pari existerent puniendi. »

(21. Quinto non excusantur omnes illi, qui ex officio, vel alio titulo tenentur, et possunt sine suo gravi incommodo hanc violentam manuum injectionem impedire, et non impediunt, sicque tacite consentiunt, et permittunt, uti Superiores omnes sive Ecclesiastici, sive sæculares potentes impedire suos subditos ab his violentiis, et non impediunt; Parentes non impediunt filios, et Domini, et Officiales non

avertentes servos, et milites cum possint; c. *Quantæ* 47. de *Sent. Excomm.* ibi: « Non autem solos violentiæ hujusmodi Auctores præsumptio aliquorum existimet puniendos, sed facientes, et consentientes pari pœna plectendos catholica condemnat auctoritas. Eos delinquentibus favere interpretatur, qui, cum possunt, manifesto facinori desinunt obviare, » et Glossa hic verb. *Quidam*, clare innuit, « quod, qui auctoritatem habet ex Officio, et non prohibet, si potest, est vere excommunicatus. »

(22. Sexto non excusantur percipientes Clericum etiam in sui percussione consentientem; quia licet talis percussio non sit violenta respectu Clerici voluntarie percussus, est tamen violenta, et injuriosa respectu status Clericalis. Canon enim iste non tam pronuntiatus est in favorem Clerici, quam in favorem status Clericalis; cap. *Conting.* de *Sent. Excomm.* ubi etiam præcipitur excommunicari Clericus permitens, se percuti. « Si quis autem Clericus post prohibitionem hujusmodi, sponte se subjecerit, excommunicetur. » (23. Immo per Sperell. decis. 45. numer. 71. Barbosa, et alios triginta gravissimos Auctores, Clericus incurrit hanc Excommunicationem se ipsum percipiendo, si hoc faciat ex malitia, et passione, animo irato, et non ex fervore devotionis, quia injuriam facit ordini Clericali, pro cuius decore, et indemnitate potissimum promulgatus est Canon, *Si quis suadente*.

(24. Septimo non excusantur, qui venenum Clerico, vel Monacho propinant; maxima enim offensio, et violentia resultat ex propinatione veneni, cuius ministerio, et instrumento propinans personam Clerici, vel Monachi violenter tangit, cum venena de se apta sint mortem inferre. (25. Immo hæc Excommunicatio incurritur statim ab initio propinati veneni, quia venenum calefactum in stomachum statim incipit agere, et quamvis forte non sequatur mors, hoc est præter intentionem propinantis, et per se non stetit, per venenum enim est violentia illata personæ sumenti, quæ per illud incipit violenter disponi ad mortem. Sperell. decis. 20. numer. 21. Claudius la Croix, Beja, Matthæucci, et alii passim cum Lezana t. 3. verb. *Clericus*, numer. 7.

(26. Octavo non excusantur percipientes Petrum Clericum, credentes illum non esse Petrum, sed Paulum similiter Clericum et ratio est, quia tam intentio, quam opus externum est injuriosum statui Clericali, propter cuius reverentiam imposita est Excommunicatio. Nec ulla ignorantia excusat in hoc casu, cum percipientis habeat intentionem percipiendi Clericum, et reipsa percutiat ipsum Clericum, licet credat esse alium Clericum; colligitur ex cap. *Si vero* 2. numer. 4. de *Sent. Excomm.*

(27. Nonno non excusantur percipientes Clericum, vel Monachum etiam mortuum, vel male tractantes ejus cadaver; privilegium enim hoc etiam in Clerico mortuo perseverat, et qui ipsum offendit, est adhuc injuriosus statui Clericali; sic tenent Pignatelli tom. 6. cons. 5. numer. 3. Sperell. decis. 21.

num 25. Engel tit. 33, § 1. num 5. et alii passim cum Felino in cap. *A nobis* 2. n. 4. de *Sent. excomm.*

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(28. Quæri hic solet; an percipiens Clericum in defensionem Tertii, incurrat necne excommunicationem, de qua disseritur (29. Negatur, propterea quod defensio Innocentis, respectu cujuscumque Aggressoris sit maxime naturalis, et suo modo debita, vel saltem licita; Cap. *Dilecto*, de *Sentent. excomm.* ut nulla ex eo actu debeat resultare pœna, dummodo non cesset vera et justa ratio defensionis; Zoes. in *Decretal.* lib. 5, tit. 39, n. 36. Suarez de *Censur.* disp. 22. sect. 1, n. 39.

(30. Quod dicitur in cap. 3, de *Sentent. Excomm.* percipientem scilicet Clericum turpia agentem cum matre, filia, et uxore, non incurrare excommunicationem, id intelligendum tam de copula quam de aliis actibus turpibus; Suarez de *Censur.* disput. 27, sect. 1, num. 37. (31. Nomine uxoris venit etiam sponsa de præsentibus, non item de futuro. (32. Sed an nomine Matris veniat Avia, tum an nomine filia veniat Neptis, non conveniunt Doctores. Negatidem Auctor, citato loco, num. 36.

(33. Percipientes Clericos privatos privilegiis Clericalibus a suo Episcopo non incurrare excommunicationem, recte ait Auctor num. 7. (34. Clerici autem privati privilegiis Clericalibus sunt degradati, non item depositi, nisi post depositionem sequatur incorrigibilitas. (35. Sed an requiratur Judicis declaratio; affirmat Zoes. in *Decretal.* lib. 5, tit. 39, num. 43. qui tamen alios tradit casus, in quibus sola incorrigibilitas post trinam monitionem privat privilegio Clericali.

(36. Quod ait Auctor num. 23 Clericum seipsum percipientem incurrare excommunicationem, intellige cum Zoesio in *Decretal.* dict. lib. 5, tit. 39, num. 66. « Quatenus percussio inducit gravem læsionem in proprio corpore, ut ei conveniat ratio Canonis, quia læditur favor publicus status Clericalis. » (37. Clericum vero consentientem sui percussioni non incurrare excommunicationem patet ex cap. 36, de *Sentent. Excomm.* in quo habetur, consentientem excommunicandum, quod est argumento non incurrisse excommunicationem.

## ARTICULUS XII.

*Quinam ab excommunicatione canonis possint absolvere, vel non?*

(1. Ad faciliorem hujus tituli intelligentiam prænotandum est, quod percussio, seu violenta manuum injectio in Clericum dividitur in levem, mediocrem, et enormem; cap. *Pervenit*, de *sentent. excomm.* (2. Levis est, quæ fit sine relictione maculæ, seu signi percussio in corpore, ut quæ fit manu, pede, digito, baculo, lapide nullam maculam externam, seu contusionem relinquentem. (3. Mediocris est, quæ fit cum relictione maculæ, seu signi in corpore sine mutilatione,

aut lethali vulnere, ut quæ fit cum dentium, aut magna capillorum evulsione, cum carnis suppellatione, cum magna sanguinis effusione, cum vultus scædatione, vestium effractione, et similibus. (4. Enormis est, quæ fit cum vulnere, mutilatione, aut magna sanguinis effusione, non a naribus, sed a magno vulnere proveniente; cap. *Cum illorum* 32, de *Sent. excomm.* § *Qui si claustrales*. (5. Et percussio, seu injuria de se non gravis et enormis, potest esse enormis ratione qualitatis personæ offensæ, et loci, in quo offenditur; ratione Personæ est enormis, cum percipitur licet leviter Episcopus, Abbas, a subdito suus Superior, a Filio suus Pater, a discipulo suus Magister, ex cit. capit. *Cum illorum*, et Fagnan. ibi n. 21. (6. Ratione loci fit enormis cum fit publice, v. g. in Theatro, in Foro, in conspectu Superioris, Judicis, in Ecclesia, et cœmeterio, ex cap. *Qui sævis* 17, quæst. 4, et ex Fagnan. loc. cit. n. 23. His prænotatis, resolves.

(7. In Articulo mortis, et in absentia Superioris, ad quem de jure spectat absolutio, quilibet Sacerdos potest absolvere ab hac excommunicatione, etiam per percussorem enormem contracta, sicuti a qualibet alia, cum onere, ut elapso periculo absolutus compareat coram Superiore ad exequendum quod ille præscripserit; cap. *Eos qui*, de *Sent. excomm.* in 6, et cap. *Excommunicamus*, de *Sent. Excomm.* inter extravag. commun. § *Decrevimus*. (8. Et signanter dicitur « in absentia Superioris, ad quem de jure spectat absolutio, » quia certum est ex mox laudatis cap. *Eos qui*, etc. et cap. *Excommunicamus*, etc. a censura Excommunicationis reservatæ neminem in mortis articulo absolvi posse, si facilis sit recursus ad Superiorem, ad quem absolutio de jure spectat; ibi enim § *Decernimus* sic clare statuitur: « Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens Excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum, absque speciali mandato nostræ absolutionis beneficium valeat obtinere, nisi forsan ad nos habere accessum non posset in mortis articulo constitutus. »

(9. Extra articulum mortis possunt ab Excommunicatione canonis etiam per percussorem mediocrem, et enormem contracta absolvere Legati a latere, quia licet hæc Excommunicatio in Canone, *Si quis suadente diabolo*, sit specialiter reservata Romano Pontifici, ex declaratione tamen ejusdem extensa intelligitur facultas absolvendi Legatis a latere, quibus constat hanc absolvendi facultatem competere ex Officio Legationis, ex cap. *Ad eminentiam*, de *Sent. excomm.* (10. Et isti Legati a latere possunt absolvere omnes undecumque advenientes (11. Legati autem missi, sive Nuncii Apostolici possunt solum absolvere eos, qui sunt in Provincia suæ Legationis, expresse colligitur ex textu in cap. penult. de *Offic. Legati*.

(12. Extra mortis articulum possunt Episcopi absolvere ab hac Excommunicatione contracta ob percussorem levem etiam publicam; cap. *Pervenit* 17 de *Sentent. Excomm.* (13. A contracta vero ob percussorem me-

diocrem, et enormem possunt absolvere tantummodo, si sit occulta, ex Tridentino sess. 24 de *Reformat.* cap. 6. ubi expresse habetur: « Liceat Episcopis... in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in Foro conscientia gratis absolvere imposita pœnitentia salutari. » Et si fuerit publica, possunt ab ea absolvere, si personæ Excommunicatæ sint impeditæ adire Pontificem impedimento perpetuo, vel longissimi temporis; cap. *Mulieres* 6. cap. *De cetero* 11. cap. *Ea noscitur* 13. cap. *de Monialibus* 33. et cap. *Quamvis* 58 de *Sentent. Excommunicat.* (14. Si impedimentum est perpetuum, absoluntur sine onere comparandi; si impedimentum est solum temporale, absoluntur cum onere comparandi cum primum commode poterunt, alias reincident in aliam similem Excommunicationem; ex cap. *Eos qui*, de *Sentent. Excommunicat.* in 6, et cap. *De cetero*, 11, tit. 39, de *Sent. Excomm.* Quinam autem censeantur impediti adire Romam, vid. verb. *Absolutio* art. 1. num. 6. 7. 8, etc.

(15. Prælati Regulares (pro quibus in hoc non veniunt Superiores locales Conventuum, ex decreto Visitationis Apostolicæ 13 Martii 1601.) possunt suos subditos, et Novitios absolvere ab Excommunicatione contracta, nedum ob percussorem levem, et mediocrem, ex cap. *Monachi*; cap. *Illorum* § *Si Claustrales*, et cap. *Canonica de Sentent. Excomm.* sed etiam ab Excommunicatione contracta ob percussorem enormem ex Bullis Clementis IV. incip. *Virtute conspicuus*, Sixti IV. incip. *Regimini*, Julii II. incip. *Exponi Nobis fecisti*, et Pauli III. incip. *Licet Debitum*; inter enim excessus enormes in istis Constitutionibus exceptos, pro quorum absolutione sit a Regularibus Sedes Apostolica adeunda, non reperitur percussio enormis, et casus excepti per omnes firmant regulam in contrarium et in non exceptis, neque constat de expressa, et specifica Sanctæ Sedi reservatione absolutionis a percussione etiam enormi, qua se Regulares offendunt. (16. Tum quia Clemens VIII, in suo Decreto edito 26 Maii 1593, pro limitatione casuum reservabilium a Prælatibus Regularibus, statuit posse ab ipsis inter alios sibi reservare « occasionem, aut vulnerationem, seu gravem percussorem cujuscumque personæ, » sed per hanc concessionem Pontifex supponit in Prælatibus Regularibus veram facultatem absolvendi suos subditos a tali enormi, et gravi percussione, cum certe constet nullum Prælatum posse sibi reservare censuram, a qua non possit ipse absolvere, alias superflua esset, et frustranea Pontificis dispositio.

(17. Et hoc evidentius ostenditur per ea, quæ Urbanus VIII, confirmans ipsum Decretum Clementis in decreto de expresso ejus mandato edito a Congreg. Conc. die 21 Septembris 1624. subjungit: « Sanctitas Sua deinceps declaravit, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare nolue-

rit, possint nihilominus Confessarii illa vice penitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere; » sed Pontifex per hæc verba *facultatem petentibus Superiori dare noluerit*, manifeste, et evidentissime supponit, Prælatos Regulares, per se ipsos, vel alios, quibus id commiserint, posse proprios subditos ab omnibus illis casibus absolvere, ergo certissime constat posse prælatos Regulares suos subditos per se, vel per alios absolvere percussione etiam gravi, et enormi. Sic firmiter tenent Donatus tom. 1. part. 1. tract. 13. quæst. 17. et tom. 2. tract. 11. quæst. 17. et 18. Anaclet. lib. 5. *Decret. tit. 39. de Sent. Excomm.* num. 233. Felix Potest. tom. 1. part. 4. num. 3378. Lezana tom. 1. cap. 18. num. 3. Tamburin. *de Jure Abbat.* tom. 2. disp. 14. quæst. 10. num. 6. Hasbensis, Rodriquez, Laiman. Sorbo, Matthæucci, Engel. et alii plurimi. Vide tamen verb. *Prælati Regularis* num. 31.

(18. Regularis percussus Religiosum alterius Ordinis debet absolvi ab ambobus eorum Prælati; ex cap. *Cum illorum*, vers. *Si vero Claustralis* 23. *de Sentent. Excomm.* ubi expresse habetur: « Si vero Claustralis aliquis in Religiosam personam alterius Claustris manus injecerit violentas, per Abbatem proprium, et ejus, qui passus est injuriam, absolvatur, » quod ex Molina *de Jure et justitia*, tract. 3. disp. 60. n. 5. et Engel. lib. 5. tit. 29. *de Sent. Excomm.* sic debet intelligi, ut absolutio, et executio pœnæ fiat per Prælatum Religiosi percussentis, tamquam per Judicem Ordinarium, cum consensu tamen, et præsentia Prælati Religiosi offensi tamquam Actoris super injuria sui Religiosi, nisi Prælati Religiosi offensi totum hoc negotium remiserit Prælati Religiosi offendentis. (19. Et si Religiosi illi adinvicem, et mutuo se percusserint, poterit quilibet Superior suum subditum absolvere, quia tunc injuria compensatur; sic Felix Marius pag. 628. num. 9. (20. Regularis percussus Clericum sæcularem potest absolvi a proprio Superiore Regulari de licentia Episcopi Diocesani, vel ab ipso Episcopo; ex cap. *Religiosi* 21. *de Sentent. Excomm.* in 6. vel a Sede Apostolica ex Stylo Curie cap. *Cum illorum* 32. *de Sentent. Excomm.* Vide infra n. 24.

(21. Moniales exemptæ, se invicem etiam graviter, et enormiter percussentes possunt absolvi a suis Prælati Regularibus, vel ab aliis ab ipsis deputatis, quia privilegia Regularibus concessa, eorum Monialibus communicantur, ut expresse concedit Sixtus IV. in Bulla aurea Monialibus Prædicatorum, et Minorum, et signanter pro Monialibus S. Claræ concedit Leo X. Constit. *Cum sicut*, Gregorius XIII Constit. *Ex benignæ Sedis*, et Pius V. Constit. *Et si Mendicantium*, in quibus confirmant privilegia Fratrum Minorum de Observantia, et Monialium S. Claræ, et Tertii Ordinis S. P. Francisci, etiam per modum communicationis, et extensionis inter se, et cum aliis Ordinibus. (22. Moniales vero subjectæ Ordinariis se invicem, vel

Clericos, percussentes absolvuntur ab Episcopo, etiamsi percussio sit gravis, et enormis; cap. *de Monialibus* 33. *de Sentent. Excomm.* (23. Regulares intra Italiam, et extra Urbem possunt absolvere sæculares a percussione levi, si ab Episcopo habeant facultatem absolvendi a casibus ipsi reservatis; non enim possunt sola sua facultate propria, cum per decretum jussu Clementis VIII. editum 26 Novembris 1602. sit absolute reservata privative ad ipsos violenta manuum injectio in Clericos juxta Canonem; *Si quis suadente diabolo* 17. quæst. 4.

Ad superius dicta in hoc ultimo art. num. 20. addendum est, quod Abbas, seu Superior Regularis non potest absolvere Monachos sibi subjectos a percussione Clerici Sæcularis, ut expresse respondit *Sacr. Congreg. Concil. in Mediolanen. Censuratum* 2 Decemb. 1719. ad 5. dubium, in qua causa cum alia ad rem facientia proposita et resoluta fuerint, hic pro uberiori notitia ad litteram subnectuntur, prout referuntur in Theatro Resolutionum S. C. C. tom. 1. in dicta Mediolanensi Censuratum, ibi: In oppido Civitatis Mediolanensis Diocesis Cœnobium extat Monachorum Montis Oliveti, cujus Abbatia commendata est Eminentissimo Cardinali Odescalco Archiepiscopo. Penes Abbatem Commendatarium stare dicitur cura habitualis; Ecclesia etiam Cœnobii est Parochialis, et cura actualis exercetur a perpetuo Vicario. Inter Monachos, et Vicarium jurgia, et contentiones sæpius exortæ sunt. Cum autem die 26 Mensis Januarii anni præteriti 1718. Livius Bazzana Vicarii munere fungens percussus fuerit a duobus Monachis, ab Antonio videlicet Petragrossa Sacerdote, et ab Alexandro Fumagallo Laico Converso, nonnulla Acta in Curia Archiepiscopali gesta fuerunt, de quorum validitate in præsentem est disputandum, uti desumitur ex primo dubio mox referendo, et ex cæteris inter partes concordatis; cumque hinc inde Scripturæ distribuantur, dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An Acta hactenus facta per Curiam Archiepiscopalem Mediolanen. contra Rev. Patrem Antonium Petragrossa, et Fr. Alexandrum Monachos sustineantur, in casu, etc.

II. An liceat eidem Curie Archiepiscopali declarare, vel saltem denunciare excommunicatos in vim Canon. *Si quis suadente*, dictos Monachos, in casu, etc. et quatenus negative.

III. An constet de sufficienti punitione facta per dictum Abbatem Regularem, in casu, etc., et quatenus negative.

IV. An, quomodo, et quibus pœnis sit procedendum contra dictos Monachos, in casu, etc.

V. An licuerit eidem Abbati Regulari absolvere prædictos Monachos a Censuris, si quas incurrerint, in vim dicti Canon. *Si quis suadente*, in casu, etc.

Eadem Sac. Congregat. Concil. in dict. Mediolan. Censuratum die 2 Decembris 1719. Respondit.

Ad primum *Affirmative*, excepto Monitori

expedito die 14 Februarii 1718. nec non excepta citatione expedita die secunda Junii ejusdem anni. Ad secundum licet (renovata tamen citatione juxta instructionem) *declarrare Fratrem Alexandrum, nec non P. Antonium; quatenus delictum habeatur pro notorio, et quatenus habeatur tantum pro publico, licere denunciare*, id est præcipiendo suis Parochis et Subditis universis, ne eos admittant

## EXECUTOR LITTERARUM APOSTOLICARUM.

## SUMMARIUM.

1. Executor alius est merus, alius mixtus, et quis sit uterque? — 2. Quando in Rescriptis additur *Vocato Titio*, tunc executor est mixtus. — 3. Sic efficitur mixtus per Clausulam *Amoto*. — 4. Et per Clausulam *Constito*. — 5. Vel per alteram dummodo verificato Jurepatronatus. — 6. Et per Clausulam *Vocatis* vocandis, vel accedente consensu. — 7. Item per Clausulam dummodo non sit alteri jus quæsitum. — 8. Executor Apostolicus debet in primis requirere justificationem Litterarum Apostolicarum. — 9. Non potest procedere ante illarum presentationem. — 10. Executor Litterarum Apostolicarum procedere potest absque illarum exhibitione in Cancellaria Episcopali. — 11. Executionem Litterarum Apostolicarum impedire non possunt Ordinarii ex Decreto Concilii Tridentini. — 12. Ordinarius nec cumulative cum Executore deputato Litteras Apostolicas exequi potest. — 13. Dispensationum Matrimonialium commissiones, si extra Curiam fiant, locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis Generalibus solent demandari. — 14. Vicariis Prælatorum inferiorum jurisdictionem quasi Episcopalem habentium non committuntur. — 15. Excipiunt tamen Vicarii Abbatibus Montis Cassinen. — 16. Ad illos solos Prælatos sunt dirigendæ, qui jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, et sunt nullius Diocesis. — 17. Brevia directa constitutis in Dignitate possunt expediri per Canonicos. — 18. Matrimoniales tamen dispensationes Canonicis Cathedralis non committuntur. — 19. Immo nec Sede Episcopali vacante hujusmodi dispensationes committuntur Vicario Capitulari, sed Episcopo viciniori, seu ejus Vicario Generali. — 20. Nec etiam Vicarius Capitularis, Sede vacante, potest exequi Litteras Apostolicas in forma *dignum*, et Episcopo defuncto directas. — 21. Potest tamen Vicarius Capitularis executioni demandare Litteras directas Episcopo per Sacram Congregationem, et ab illo non executas. — 22. Item Vicarius Capitularis potest exequi omne id, quod Episcopo mortuo per Bullam, seu Breve in causis jurisdictionem importantibus erat concessum. — 23. Item Vicarius Capitularis potest perinde ac Vicarius Episcopi esse Executor Gratiarum, et Litterarum Apostolicarum tamquam in Dignitate constitutus. — 24. Deputato, seu delegato Vicario, non potest exequi Episcopus, nec e contra. — 25. Et si aliquo casu facta esset commissio Episcopo, vel ejus Vicario, tunc facta presentatione uni, non posset alter se introumittere. — 26. Si Vicarius delegatus mortuus sit, vel ab officio remotus, debent Litteræ per successorem in Vicariatu executioni demandari. — 27. Quando Papa in Commissione non exprimit nomen Vicarii, respicit Tribunal, et non Personam. — 28. Si vero in Litteris expressum sit nomen Vicarii, et Tribunal, tunc si primo loco appositum sit nomen proprium, ut dicatur *Dilecto Filio Paulo Vicario*, etc. tunc censetur commissio personalis, et non transit ad successorem, sed quamvis etiam desineret esse Vicarius, adhuc tamen remaneret delegatus. — 29. Si vero commissio facta sit Dignitati non expresse nomine Vicarii, tunc quia hujusmodi dignitas est perpetua in Ecclesia, transibit ad Successorem. —

intra Ecclesias sibi subjectas, et non conversentur cum eisdem. Ad tertium *negative*. Ad quartum *detrudendos nomine Sacre Congregationis in Carcerem formalem, et per Abbatem certioretur Eminentissimus Episcopus de pœna delinquentibus imposita*. Ad quintum *negative*.

De materia hujus articuli, consule, si libet, Zoc. in *Decretal.* lib. 3. tit. 39. n. 165.

30. Vicarius Episcopi adhuc non consecrati, sed solum confirmati potest dispensationes exequi. — 31. Vicarius, si fiat Episcopus illius Diocesis, non poterit exequi dispensationem sibi commissam, sed ejus in Vicariatu successor. — 32. Vicarius potest exequi Litteras, quamvis Episcopus esset aliqua causa excommunicatus vel suspensus. — 33. Executor quicumque sit, debet ad unguem servare formam præscriptam in Litteris quarum vigore procedit. — 34. — Executor pro executione nihil prorsus potest accipere etiam sponte oblatum. — 35. Talis prohibitio est intelligenda etiam de esculentis, et poculentis, quæ paucis diebus consumi possunt. — 36. Neque sub prætextu laboris, neque ratione sigilli, papyri, expeditionis, et taxæ Delegatus aliquid accipere potest. — 37. Potest tamen Notarius aliquid accipere, nempe quartam partem aurei pro examinandis testibus, et sumendis cæteris informationibus. — 38. Immo post executionem factam etiam ipse Executor potest aliquid gratis oblatum accipere, minime vero aliquid prætere. — 39. Executor dispensationis Apostolicæ pro Foro interno super impedimentis Matrimonii occultis potest esse Magister in Theologia, vel Doctor Decretorum, seu Juris Canonici. — 40. Præfatas litteras exequi nequeunt Lectores, et Professores Regulares, nisi in publica aliqua Universitate, vel Academia realiter, et formaliter sint insigniti Laurea Magisterii, vel Doctoratus, aut id eis competat ex speciali privilegio Apostolico. — 41. Tale privilegium est concessum Jubilatis Ordinis Minorum de Observantia. — 42. Tale privilegium est concessum Confessariis Societatis Jesu a Præposito Generali, vel de ejus licentia ab aliis Societatis Superioribus ad id specialiter designatis, etiamsi Magistri Sacre Theologie, vel Sacrorum Canonum non existant. — 43. Idem possunt ex communicatione cum privilegiis Societatis alii Mendicantes. — 44. In casu, quo Sacra Penitentiaria commissionem, et inscriptionem ita faciat: *Discreto Viro Confessori ex approbatis ab Ordinario*, tunc poterit quivis approbatus ab Ordinario, vel alius per dictas Litteras specialiter deputatus illas exequi, licet non sit Magister in Theologia, nec Doctor Sacrorum Canonum. — 45. Executor debet esse approbatus ab Ordinario loci, in quo Litteras exequitur. — 46. Et debet esse a Penitente specialiter electus. — 47. Si unus Confessarius a penitente electus exequi recuset, vel ob nimium rigorem penitenti displiceat, potest penitens alium eligere. — 48. Executor ad executionem non debet adhibere Testes. — 49. Debet autem Litteras lacerare, et nullatenus potest eas Oratori, seu Latori restituere. — 50. Alia de Executoribus *remissive*. — 51. Episcopus, qui ob tenuitatem reddituum etiam de consensu Sac. Congr. Episcop. non retinet Vicarium, nequit exequi Litteras Apostolicas Vicario Generali directas. — 52 ad 56. Executor litterarum Apostolicarum non potest subdelegare. — 57 ad 60. De Auditore Camerae uti est executor omnium Litterarum Apostolicarum. — 61 ad 62. De mutatione Executoris Litterarum Apostolicarum. — 63. Executor Litterarum Apostolicarum potest procedere absque earum exhibitione.